

Folia supra viridia, subtus albo-tomentosa, lyrato-pinnatisecta, lobo terminali magno, late ovato vel ovato-cordato, apice rotundato —lobis lateralibus parvis, terminali multiplo minoribus, modo integris, modo tri-vel pinnati-lobatis. Periclinium plantae Raddeanae glabratum. Achaenia 5 millim. longa, $1\frac{1}{2}$ — 2 millim. lata, obtuse tetragona, basin versus sensim attenuata, opaca, glabra, parce scrobiculata, nigrescentia; apice repente attenuata, rotundata, margine nullo. Pappus niveus, ad 1 centim. longus, setis tenuissimis, inaequalibus, barbellatis. — In herbario Horti botanici Petropolitani sub nomine *Jurineae chamaecynarae* Boiss. specimina in Armeniae monte Fecelem a Bourgeau lecta (№ 134) exstant, quorum nonnulla ad *Jur. depressam* C. A. Mey., reliqua autem omnia ad *Jur. rhizantham* C. A. Mey. spectare mihi videntur. An fors species hae omnes conjungendae?

326. LEONTODON HISPIDUS L. — Aschers. Fl. d. Prov. Brandenb. p. 367. — *Leont. hastilis* L. — Ledeb. Fl. ross. I. p. 780.

var. vulgaris Aschers. l. c.

In Armenia, ad lacum Goktschai.

327. PODOSPERMUM CANUM C. A. Mey. — Ledeb. Fl. ross. II. p. 781.

var. integrifolia Trautv. caule humili, 4 — 8 centim. alto, adscendente, 1 — 2 foliato, monocephalo; foliis radicalibus plerisque integris, linearibus; periclinio magis minusve tomentoso. — *Pod. Meyeri* Trautv. in Radde Berichte üb. d. Untersuch. in d. Kaukas. Länd. I. p. 161 (non C. Koch).

In Armeniae monte Alagös.

Specimina Raddeana haud male respondent *varietatis glabratae* descriptioni Candolleanae. Hanc ob causam eandem plantam, a Radde a. 1864 in monte Tschitcharo lectam, olim pro *Pod. Meyeri* C. Koch sive *Pod. pontico* Stev. habui, quibus auctores hi *Pod. cani var. glabratam* Dec., nescio an recte,

subjungunt. Nunc autem *Pod. Meyeri* C. Koch ob caulem erectum, fere pedalem (Walp. Annal. bot. II. p. 959) a planta Raddeana separandum esse opinor.

328. TRAGOPOGON PUSILLUS M. Bieb.—Ledeb. Fl. ross. II. p. 789.

In Armenia, ad thermas Isti-su.

In speciminibus Raddeanis, prope Isti-su decerptis, quae caeterum *Trag. pusillo* M. Bieb. omni ratione simillima, achaenia (ni fallor, nondum prorsus evoluta) breviter rostrata; e contrario in *Trag. pusilli* M. Bieb. specimine fructifero, a Radde anno 1865 prope Borshom lecto, achaenia longe rostrata, rostro achaenium aequante.

329. SCORZONERA LATIFOLIA Dec. — Ledeb. Fl. ross. II. p. 797.

var. typica Trautv. herba tota pericliniisque magis minusve tomentosis.

In Armenia, prope pagum Bitschenach et in tractu pascuo Kasikibaran.

var. glabrata Trautv. caule apice, foliis superioribus et periclinio glabratiss.

In Armenia, in tractu pascuo, Kasikibaran dicto.

Praeterea species haec variat foliis vel ovato-ellipticis, vel ovato—lanceolatis, vel denique oblongo—lanceolatis.

330. LACTUCA VIMINEA C. H. Schultz. — Ledeb. Fl. ross. II. p. 804.

var. leucocarpa Trautv. achaeniis albidis, rostratis?

In Armeniae tractu pascuo Kasikibaran.

Lactuca viminea C. H. Schultz typica, qualem e Tauria possideo, achaeniis atris et longe rostratis excellit. Planta Raddeana solummodo achaenia immatura, albida (nec brunnea nec nigra) et apicem versus quidem attenuata, tamen neququam manifeste rostrata, offert et ad *var. erostrem* Regel (Bull. de la Soc. des nat. de Mosc. 1867. № 3. p. 172) adpropinquat; propius tamen ad